



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 633. Usque Ad Annum 726

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117840

§. 56. Epistola ad Paulum Thessalicensem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66082](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66082)

S. Martinus Papa non solum ad Orientem Sæculum VII tales suas dedit Epistolas, sed etiam ad A. C. 649. Episcopum Carthaginensem, omnes Episcopos & populos ipsi subjectos, in quibus significat, Fidei Confessionem, in eorum Epistola Synodali contentam sibi probari. Præterea eis Acta Concilii cum Epistola encyclica mittit.

§. LVI.

Epistola ad Paulum Thessalonicensem.

Cum Paulus Episcopus Thessalonicensis, iterum ordinatus, litteras suas Synodicas, suam Confessionem Fidei continentis, ad S. Martinum Papam misisset, ut mos ferebat, noluit eas recipere Pontifex, quod Monothelitis faverent; verum, Pauli Legatis affirmantibus, errorrem, qui in ejus litteris apparebat, oscitantia scribentis irrepississe, quem Paulus, quamprimum leniter moneretur, correcturus esset, flecti se passus est Papa, & ne quidem illo jure uti voluit, quo Paulum Sacrae Sedi speciatim subjectum compellere potuisset, ut Romam veniret, & canonice causam diceret; sed satis fore existimavit, ei opera Sacrae Sedis Legatorum, qui apud ipsum erant, ostendere, in quo errasset, eique transmittere formulam Fidei scriptam, quam profiteri deberet. At Paulus, deceptis Legatis, tradidit Fidei professionem, in qua, ubi de

Epist. 12.

Sæculum VII de Voluntate & Operatione JEsu Christi
A. C. 649. loquitur, vocem *Natura sua* omiserat,
 & Anathematismum non apposuerat.
 Legati quidem his dolis & blanditiis ca-
 pti hoc Scriptum receperunt; sed Papa,
 hac formula sibi reddita, eos in cinere
 & cilicio pœnitentiam agere, & Paulo
 Thessalonicensi Anathema dicere jussit.

Ep. 12. p. 50. Id ipsum ei Papa data Epistola men-
 se Nov. anno 649. indicat, & postquam
 fraudes exprobavit, dicit: *Scito, te ab*
omni Dignitate Sacerdotali, & omni Mi-
nisterio in Ecclesia Catholica esse deposi-
tum, donec ea omnia, nec ullo apice o-
miso, quæ in Nostro Concilio definitivimus,
in litteris manu tua signatis confirma-
veris, & his omnibus, quæ anathema-
tizavimus, præsertim novis Hæreticis
cum sua Ecclesi & Typo Anathema di-
xeris. Præterea ille etiam error a te
emendandus est, quod contemptis Canoni-
bus te subditum & Sacræ Sedis Vicari-
rium in tuis Epistolis non profitearis.

Epist. 13. Eodem tempore scripsit Papa ad Fideles
 Ecclesiæ Thessalonicensis, jubens, ne
 cum Paulo amplius communicent, sed
 Rem Divinam a Presbyteris & Diaconi-
 nis celebrari current, usque dum Paulus
 ad officium redierit, vel aliis Episcopos
 in ejus Sedem electus fuerit.

§. LVII.